



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Rapina differt à raptu eo quòd raptus respicit personam, rapina verò rem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

salutis, vt simpliciter: vt si quis ex timore peccandi post baptismum nollet baptizari aut communicare, vel in casu: vt si quis ex timore deficiendi nollet præceptum sibi officium pastorale acceptare. Nec excusatur, sed accusatur ex huiusmodi timore & ignorantia propriæ virtutis, quàm non discutit, quoniam ex his causatur pusillanimitas. Vnde Dominus in Euangelio seruum pusillanimum, qui talentum non exposuerat lucro damnauit. Quando verò retrahit ab aliis vtilibus proximo, & præcipuè saluti animarum, licet veniale sit graue, tamen est tantò periculosius, quantò sub humilitatis specie detinens animum imbibitur & radicatur perleuerans.

*Rei alienæ iniusta sententia rapina est,  
& peccatum iniustitiæ.*

**R**APINA (qua homo violentia iniusta accipit alienas res) peccatum est mortale: quia iniuriam infert proximo & quantum ad res, & quantum ad modum. Dicitur autem iniusta: quia si violentia iustè infertur, non est rapina: vt quum in bello iusto præda tollitur: & similiter quum auctoritate publica, iustitia existente puniuntur in rebus ciues. Sed si iustitia desit, rapina committitur tam in bello quàm in ciuitate res ciuium auferendo, publica auctoritate abutendo ad rapiendum.

*Rapina differt à raptu eo quòd raptus respicit personam, rapina verò rem.*

**R**aptus quo personæ rapiuntur iniustè, maius crimen est quàm rapina, quantò persona maior est rebus exterioribus. Et specialiter appropriatur ad raptum puellarum: quæcunque tamen personæ rapiatur, habet in se crimen raptus, & admixtam iniquitatem pro qua rapitur: quæ iuxta genus suum iudicanda est.

*Ff 5*

*Reli-*